



## SEQVNTVR ORATIONES

IN TRIBVS CELEBERRIMIS ACADEMIIS diuersis temporibus, de materiis Theologicis habitæ.

HIER. ZANCHII

*De aperiendis in Ecclesia Scholis, deq; opera Sacrarum literarum studiis cum primis danda,*

ORATIO.

*Habita Neustadii Anno 78. cum interpretatione Epistole ad Ephes. auspiciatur.*



VLIANVS ille Apostata, clariss. & ornatiss. auditores, Iulianus, inquam, ille hostis Christi acerrimus, totiusq; Christianæ religionis cõtumeliosissimus irrisor, multa & graua mala dedit Ecclesiæ, atq; ad eo toti Reip. Christianæ, plura & grauiora procul dubio daturus, nisi Christus nefarios impii hominis conat<sup>9</sup>, vitâ illi ademtâ, maturè è cœlo represisset. Neq; .n. malus ille ac malitiosus, vt sæuus tantùm Tyrânus, proscriptionibus, exiliis, bonorûq; direptionibus, igne (vt dici solet) & ferro, Christianos persequi, in suum induxerat animû, & persequi iâ inceperat; verùm etiã, vt homo vafer & callidus, isq; non indoctus, multa aduersus Christianã doctrinã acutè & non ineleganter scribere ac disputare, cum multorum admiratione solitus fuit; vsq; adeo, vt plus damni suis sophismatibus, suâq; eloquentiã, quàm gladio dedisse, nõ malè à plerisq; iudicetur. Mihi verò inter dolosas callidasq; rationes, quib<sup>9</sup> sceleratus Imperator Christianã religionẽ conuellere & funditus euertere conatus fuit, illa nõ postrema fuisse videtur, cum in suum induxit animû, omnium bonarû literarû studia

studia